

Bibliothèque numérique

medic@

**Enguehard, André - candidat / Raoult,
Robert - président. - An omnes à
calore morbi intus geniti ?**

1678.

***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Illustrissimi
Archiepiscopi Parisiensis
Typographum***

Cote : ms 2323 n°45



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax02x0045](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax02x0045)



QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda
in Scholis Medicorum die Jovis 20. Januarij.

M. ROBERTO RAOULT, Doctore
Medico Præsede.

An omnes à calore morbi intus geniti?

I.

CORPUS humanum constituunt partes, diversarum functionum opifices, spiritus, & humores: quod in partibus vitium, morbus est; quod in functionibus, symptoma; quod in spiritibus & humoribus, causa morbi: hoc vel est ipsorum penuria (hoc sæculo rarissima) vel exuperantia modò exquisita, modò impura; illam plenitudinem appellant; hanc impuritatem, ut ambæ sint universi omnium morborum & quibus stipantur symptomatum fontes: plenitudo alia vasorum, quâ nimîa sanguinis copiâ adeo tument & distenduntur, ut immineat aut apertionis, aut diremptionis periculum; alia supra vires, quâ major est illius ubertas quam ferre possint; inde febres, inflammationes, hæmorrhagiæ, sævissimi dolores; inde nonnunquam obortâ universali obstructione quâ insitus calor suffocatur, syncope; inde venarum interceptione, quâ spiritus vitalis aditu ad cerebrum prohibetur, apoplexia illa, quam sanguineam dicunt.

IMPURITAS, pro vario humoris dominatu vulgaribus medicis triplex, pituitosa, melancholica, biliosa; hæc oculatioribus unica morborum procreatrix. Incredibile dictu quot ex eâ in prima corporis regione, veluti natali sua sede, primùm collectâ, graves emergant affectus; aliàs parte sui tenuiore & sulphureâ magis, varias partes attingit, earumque functiones interpellat; aliàs parte serosâ & maximè fluxili, majora vasa subit, ipsum sanguinem fœdâ lue polluit, ac in serum soluit; hoc sæpius exilit è venis; tunc vel ad partes appellit; vel variè per corporis habitum dispergitur; vel effunditur, forasque prodit; utrimque quàm numerosa morborum graviumque symptomatum series? quandoque parte crassiore intimis viscerum abstrusâ secessibus altiusque conditâ, insignes parit obstructions, ac veluti cineri doloso suppositum ignem alit, qui dum paulatim & quasi latenter genitalem ipsorum succum depascitur, labem ipsis inurit tempore & opere plurimo vix eluendam, lentæ febris, atrophix, cachexix, hydropis, sterilitatis, hypochondriaci affectûs, morborumque diuturnitatis parentem; ita ut quibus è fontibus decurrebat accommodatus ad vitâ succus, summa fluat veneni perniciēs.

III.

PLENITUDINIS porro perpetuus comes calor est: tantum quippe habemus caloris quantum sanguinis, cujus præsentia partes omnes calent, absentia frigent; ut qui morbi à sanguinis exuperantia pendunt, iidem meritò judicentur à calore proficisci: quævis pariter impuritas aut extranei caloris soboles; aut ipsum inducit: hæc nimirum vel incautæ victus legis, vel

3

pravæ viscerum dispositionis, interdum utriusque foetu-
ra; prior quascumque obtineat dotes vivendi rationi con-
similes, diuturniore morâ putret, putredine accensâ bi-
liosæ colluvionis vires induit; posterior viscerum sequi-
tur indolem; hæc enim sive intemperie, sive substantiæ
labe contaminata, humores, succosque, vel ex tempera-
to & puro alimento reponent sui similes & labefactatos;
ut ipsorum constitutioni, humorum & universi corporis
status respondeat, à quorum ut integritate salus ac in-
columitas, sic ab offensione quævis invaletudo proma-
nat.

I V.

QUÆ autem frequentior, aut veriùs occurrit alia
intemperies, quam calida & sicca, Medicis pe-
ritioribus percelebris: partes quippe quarum ministe-
rio corpus alitur ac vita sustinetur, omnes naturâ suâ
calent: calor ille naturæ legibus mitis est, halituosus
ac multo humore perfusus; is naturæ vires & magna
potentia solus: at partim errore victûs, partim temporis
tractu, annorumque decursu, fit acer, mordax, & flam-
meus; in dies vim alieni caloris acquirit, nativi decus
amittit: humoris scilicet absumpti loco succedit sicci-
tas, quâ veluti limâ acuitur ac longè voracior redditur,
inde non mites ac visceribus amici, sed acres succrescunt
succo, qui universum sanguinem incendunt, & in se-
rum modò commutant accerrimum; modò in flatus &
fumidam caliginem resolvunt: hæc prima tyrannidis
morborum radix; ut unius sanguinis suavitate ac visce-
rum mollitie, blandoque calore, tota ratio sanitatis sit
definienda.

V.

EO sanè spectant solemnia artis medicæ remedia;
tum majora, venæ sectio, purgatio, exquisita diæ-

ra; tum minora, balneum, aquæ metallicæ, lac, cœli
 folique mutatio. Profusus liberaliter sanguis plenitudini,
 repetita subinde blanda catharsis impuritati, exquisita
 diæta utrique opitulatur: tepentis aquæ balneum sicci-
 tatem peregrini caloris comitem remittit, humoremque
 sufficit plurimum, quem partes redditæ ficciores ebi-
 bunt: aquæ metallicæ contumaces expediunt infarctus,
 individuos cæci cuiusdam ignis, ipsam partium vivacita-
 tem exhaurientis, fomites, eaque ratione calorem con-
 temperant: lac, cœli folique mutatio, pristinam visceri-
 bus temperamenti & complexionis, restituunt medio-
 critatem; & loco feri acrioris, mitem sufficiunt sangui-
 nem, quo uno partes omnes blandè recalescunt, vigent
 ac firmantur. Hoc est totius artis secretum, multis qui-
 dem vocatis scandalum; res sacra paucis electis, qui-
 bus tota ratio secundæ aut adversæ valetudinis, unius
 caloris æstimatione terminatur.

Ergo omnes à calore morbi intus geniti.

Domini Doctores disputaturi.

M. Antonius de Caën.
 M. Carolus de Laval.

M. Dionysius Puyton.
 M. Ioannes-Baptista de Revelois.

M. Eusebius Renaudot,
 Sereniss. Delphini Me-
 dicus primarius.
 M. Isaac Renaudot.
 M. Antonius Morand.

M. Dionysius Dodart.

M. Edmundus Charrier.

Proponerat Parisiis **ANDREAS ENGUEHARD**,
 Constantiensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1678.

PARISIIS, Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi
 Archiepiscopi Parisiensis Typographum.